



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Testimonium de Ioanne Patris Ministri Collegij Romani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

audiui sæpiùs, tum etiam scripto frequenter
his verbis fecisse mentionem deprehendi:

*Mori priùs millies, quàm vel leuissimo peccato
me obstringere. Summâ diligentia ab omni sem-
per veniali noxâ abstinebo. Quantâ potero ani-* Proposito-
rum tenax.

*mi contentione, euitabo perpetuò quemcumque
vel paruum defectum. Mori potius, quàm vel
unicam violare Regulam. Priùs valetudinem,
quàm minimam aliquam Ordinis nostri legem
pessumdare.* Atque hæc ab eo retenta fuisse

constantissimè, quoad interiora quidem,
constat affirmatione eorum qui audiendis

eius confessionibus, curandoque animo ope-
ram dedere: quoad externa autem, indicio

Patris illius, qui Collegij Romani res dome-
sticas administrabat, ad quem pro muneris

parte domesticorum erratorum spectat cog-
nitio ac censura, qui hæc de eo testata reli-

quit: Numquam notavi aut accepi vllam ab Testimoniũ
P. Ministri.

eo Religionis Regulam fuisse violatam, ne-
que vquam in vllò eius opere labeculam
obseruavi, quin contrà, eius facta omnia
sanctimoniam Religionemque redolebant;
quod ipsum complures affirmauere iurati.

Quidam verò è Patribus vir grauitate iu- Testimoniũ
P. Thomæ
Bisdomini.

xtà ac doctrinâ insignis, tantæ in Adolescen-
tulo perfectionis admirator, deditâ operâ
aliquando obseruare acutissimè cœpit, num
defectus alicuius compertus, quo à summâ

E illâ

illâ perfectione aut inter loquendum aut agendum disputandumve recessisset, reprehendi posset (quibus scilicet in rebus, nisi quis ad amissim perfectus sit, procliuissimus est lapsus) numquam tamen in eo vel erratum leuissimum, ne aduersus eutrapeliam quidem, obseruare potuit.

Eius in contubernio separato obseruantia.

Quamdiu seorsim in nouorum Collegarum contubernio vixit, vt erat viuum quoddam omnibus exemplar, atque imago obseruantia religioſæ, sic omnibus longè charissimus extitit eius conuictus. Nihil opus Superioribus fuit eum rei cuiusquam admonere; quin menses totos in officio permansisset, nullius monitis excitatus, tam erat in virtutem suâ sponte procliuis. E separato illo iuniorum contubernio numquam nisi potestate egrediebatur, numquam foras proeundi, aut huc illucve eundi facultatem petebat. Munera obibat omnia, nullo vniquam recusato. Numquam, dum inter iuniores collegas ageret, cum vilo veterano; dum inter veteranos, cum vilo iuniore Superiorum iniussu collocutus est. Fortè è vineâ suburbanâ die aliquo feriato duobus cum iunioribus reuersus, incidit in duos veteranos, qui officiosè eos inuitabant ad secum vnâ ambulandum; at Ioannes, obseruatione ordinis inter nouos veteresque discreti, abnuuit scilicet
atque